



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

Anno Christi MDXXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Anno Christi MDXXXIII.

Augustensis Senatus Sabbato die in Festo S. Ignatii ex Mon. Fratrum Minorum ibidem exportare (fecerunt) 2. onustas quadrigas cum ornatibus optimis Sacerdotalibus, quos ut rumor vulgi fuit, vendiderunt, pretiumque pauperibus erogaverunt.

Eadem die Magistri Zechæ Ecclesiæ S. Mauritii Augustæ, quorum principalis Marcus Ehem fuit, Sacristiam ibidem ad Parochiam pertinentem clauferunt, ac ædituo ad præfatam Sacristiam claves abstulerunt, & primam Missam de mane in aurora abrogarunt. Et ad Missæ decantationem in Altari Plebani vulgo *Frühemesß*, quæ expensis DD. Fuggerorum quotidie more antiquo celebrabatur, ornatum & luminaria ne ministrarentur ab ædituo inhibebatur. In die Parasceves ne imago Salvatoris ad sepulchrum locaretur antiquo ritu, inclusum feris servaverunt. Fuggeri itaque locum iræ dantes, administraverunt calicem, ornatum, luminaria, & omnia necessaria Altaris pro celebratione Missæ.

Dominica quasi modo, Prædicatorem ibidem more antiquo de domo prædicationis, ne deinceps sermonem faceret, expulerunt. Qui coactus, eadem die scilicet D. Georgius Storr in Ecclesia solummodo Evangelium

Hist. Eccles. Tom. XXXIII,

k

lijum

lium pronuntiavit, & durante prædicatione, Canonici coacti sunt interim aliis divinis Officiis silentium imponere. Quod etiam successu temporis pertinaciter Parochiani observavere. Magistri Zechæ quoque Canonicis vexilla processionalia, & Monstrantias, ac alia quæque ad Altare Plebani spectantia, abstulerunt: & imaginem Salvatoris pro Ascensione Domini & Angelos & Columbam.

Antonius Fugger cum videret, Marcum Ehem civem Augustensem vesano, ac vafro Spiritu, viperina Zwinglianaque farina fermentatum, ac Zelo amaritudinis & livore repletum contra omnem antiquum ritum Ecclesiæ Catholicæ: iterum pro antiquis veris Catholicis Prædicatorem & Sacerdotem propriis expensis instituit, omniaque necessaria administravit, ut omnia Sacramenta in præfata Ecclesia Parochianis administrarentur. Et ne celebritas Ascensionis Domini intermitteretur, ad consolationem, gaudium, & devotionem antiquorum Christianorum, suis expensis occulte fieri fecit imaginem Salvatoris nostri in Iride, & duos Angelos, una cum Columba pretio 20. fl. Canonicos quoque ejusdem Ecclesiæ flagitavit, ne ob pavorem divinum cultum omitterent, sed antiqua consuetudine devotionibus Christi fidelium satisfacerent, eo quod ipse omnem temerariam

riam

riam præsumptionem Marci Ehem abstulisset, suaque larga administratione, ob devotionem Catholicorum antiquorum omnem defectum suppleisset. Quod illi volenti animo annuerunt. Hæc omnia cum Marcus Ehem valde obscure comperisset, suggestum Ecclesiæ ascendens sub tecto, testudinatam foramen, ubi imago Salvatoris per funes trahi solet in sublime, ligneis cancellatis repagulis atque ferreis obstrui fecit. Quod D. Antonius Fugger conspiciens, locum iræ cum silentio dedit, cum vehementi dolore, eoquod ipse videret devotionem populi, atque gaudium senum, juvenum, impuberum utriusque sexus cum luctu extingui, & quod ipse majorem jurisdictionem in Ecclesia, quam Marcus Ehem haberet, eoquod esset perpetuus Collator ejusdem Ecclesiæ, & Marcus Ehem amovibilis, triennalis Magister Parochianus. Quam facultatem DD. Fuggeri multis expensis antea apud Sedem Apostolicam propter instantiam Parochianorum impetraverant.

In die itaque Ascensionis Domini peracto prandio Germani Fratres DD. Raimundus & Antonius Fuggeri, una cum certis amicis, fautoribus, servis, ac Clientulis suis, & structuræ illorum Magistris, Ecclesiam S. Mauritii intravere. Quæ utriusque sexus diversa, & ætate ac intentione repleta erat. Jussu itaque D. Antonii

Fuggeri Magistri structuræ illorum, clausam turrinam quadam industria procurantes per ædituum referari fecerunt, & Ecclesiam ascenderunt, magnoque strepitu cancellata ferrea, & lignea repagula destruentes, foramen ac locum, ubi imago Salvatoris trahi deberet, aperuerunt. Quod cum Marcus Ehem id relatu percepisset, mox Magistrum civium, affinem suum, Udalricum Rechlinger adiit, eique intimavit ea, quæ Antonius Fugger facturum esset. Qui eidem reciproce mandavit, ut cito, sed modeste Ecclesiam S. Mauritii adiret, & si ascensio Domini non foret celebrata, imaginem Salvatoris in pavimento Ecclesiæ stare mandaret. Si autem ascensio Domini celebrata esset, cum silentio abiret. Imaginemque superius stare permetteret. Interim autem, quo hæc acta sunt, Ascensio Domini more antiquo celebrata fuit, & decantatio horæ nonæ incæpta. Hujusmodi autem Ascensio Domini taliter celebrata fuit, quod in quantum veri Catholici plus ob devotionem flebant pias lachrymas, & gaudebant: in tantum alii ex nova Secta in reprobum sensum dati, alios blasphemando execrabantur, invocantes omnes dæmones ut adessent, cœlestisque ignis quod descenderet, pro incineratione auctorum & imaginum. His peractis Marcus Ehem contra mandatum Magistri civium seditiosam cattervam assumpsit, cum qua Ecclesiam S. Mau-

Mau-

Mauritii intravit, ac in medio pavimenti Ecclesiæ in loco ubi Ascensio Domini celebrata fuit, per Gyrum suos cuneos vallavit, ac si certamen inire vellet. Exinde ædituum contumeliosis verbis ac inhonestis invasit, eumque percutere annisus est, eo quod januam turris in Ecclesia pro Ascensione aperuisset, clavesque Ecclesiæ irato animo ab eo recepit, sicque cum sua seditiosa societate semeductis gladiis, & pugionibus contra veros Catholicos stetit, parumque abfuit, quin evaginatedis gladiis in vicem irruissent. Enimvero si solummodo unus gladium de vagina extraxisset, certamen progressum habuisset. Deinde Marcus Ehem elevata manu, extentoque digito versus Antonium Fugger clamavit: Prospice tibi, quia exinde reperturus es mercedem tuam. Ipsi autem Fuggeri antea Marco Ehem tanta servitia ac beneficia contulerant, amice tractando, ac si esset frater illorum, pro quo beneficio tam ingratum ipsum experti, quod vices rependit, sicut serpens in Gremio, ignis cum sinu, & mus in pera suis benefactoribus rependere solent. Postea Marcus Ehem cum sua factione in Choro Nonam cantantes Canonicos furore repletus adiit, contumeliosisque verbis eos invasit, & dejiciendo libros inibi cum suis magnum strepitum fecit, eosque confudit, quod a cantu cessantes, projectis superpelliceis, fugam inierunt. D.

Raimundus Fugger in principio hæc futura prospiciens, domum suam adiit. Paulopost etiam Frater ejus Antonius subsecutus est. Deinde Marcus Ehem coassumpto Fratrem suo Hieremia Ehem, & sua caterva locum testudinis ascendit, adiitque, ubi imago Salvatoris & Angelorum locatæ fuerant, iterum ad pavementum Ecclesiæ in funibus remisit. Quæ cum a pavimento in funibus pendentes, vix altitudine trium virorum exstarent, jussu, & opere Hieremiæ Ehem ex industria in terram cadere permisit, ac si fortuito casu id actum esset. Quo casu imagines in plures partes divisæ sunt. Præfectus autem Augustensis superveniens cum suis servis seditionem vi ac potestate sedavit, pacemque indixit. Deinde Marcus Ehem cum suis consilio inito, Ecclesiam clausit, clausamque per tres horas tenuit, quousque a Magistris civium ei mandatum fuit, ut Ecclesiæ januas iterum referaret. Magistri civium miserunt ad Decanum & Canonicos ejusdem Ecclesiæ, ut Ecclesiam adirent, moreque consueto Vesperas atque Completorium decantarent. Deinde omnis Senatus per quinque dies congregatus, etiam Dominica die usque ad meridiem in conclavi sederunt conferendo, quid super hac re acturi essent.

Senatus Sabbato die D. Antonium Fugger, similiter & partem adversam, segregatim

gatim tamen, ut coram Senatu compare-
rent, citaverunt, ut palam quælibet pars
intentionem hujus Controversiæ expone-
ret. Quo facto, utræque partes sine aliqua
inculpatione in pace ad lares proprios re-
dierunt. In octava Ascensionis Domini D.
Antonius Fugger, ut coram Senatu com-
pareret, vocatus est, eoque astante, liber,
vulgo *Statthuech*, publice lectus est, eique
objectum fuit, ipsum ansam præstitisse ad
concitandam seditionem, & quomodo hu-
jusmodi transgressores ex edicto, & tenore
istius libri puniri debeant; cum eo tamen
mitius agere velint, ob ejus (ac suorum)
munificentiam, ac largas elemosynas, quæ
profuse in pauperes, inopes, claudos ac
debiles, in concives, & extraneos elargi-
untur, pie administrando. Sed ne immu-
nis evaderet, tanquam transgressor, se-
quenti Feria sexta, scilicet in Profesto S.
Petronillæ, deberet turrim *Göggingerthuren*
intrare, ibique per 7. dies ac noctes perma-
nere. Sed post biduum possit egressum u-
namquamlibet diem ac noctem quinque flo-
renis redimere, & postea domum adire.
Cumque D. Antonius Fugger dilationem
respondendi per Doctorem postulasset, ei
denegatum fuit, sed ut ipse pro se, suaque
transgressione responsum redderet, jussus
est; seu alium ex Senatu more aliorum ci-
vium eligeret, qui suam intentionem pro-
poneret. His auditis D. Antonius Fugger

brevi ac castigata oratione se absolvens, a Senatu discessit, & præfixo termino de ferro comitantibus duobus servis, turrim intravit. Qui postquam sibi lectisternia præparavere, abierunt, & ipse Dominus Antonius Fugger solus remansit. Circa horam 10. vero noctis cum lectum ad quiescendum adiret, invenit male stratum, ac depositum. Quare necessitate coactus ipsemet Lectisternia aliter locavit, stravitque: & in lecto permansit usque ad octavam horam diei, & ex tunc usque ad horam prandii per pinnas ad hortos & campos oculos reflexit: altera autem die hora meridiana iterum domum suam liber adire jussus est. Sicque Pater Patriæ pœnam luit, qui se sicut verus Catholicus habuit, juxta Decretum C. M. & omnium Principum atque statuum R. I. Et ipse Marcus Ehem cum sua cohorte immunis evasit, qui bis mandatum transgressus fuerat, contra jussionem Magistri civium faciendo, & seditiosam societatem congregando.

Sacramentum Evcharistiæ in præfata Ecclesia infra octavam Corporis Christi in Altari Plebani inclusum Marcus Ehem cum sua factione pati noluit, & ad Chorum Canonorum deportatum fuit.

In die Dedicationis Ecclesiæ S. Udalrici Augustæ, quidam textor post Completorium

rium circumvit Altare S. Udalrici præfatæ Ecclesiæ cum extracto virili membro ex caligulis, in manibus portans publice coram honestis mulieribus atque aliis personis atque viris honestis ac devotis utriusque Status, qui eo in loco causa devotionis Ecclesiam intraverant, ut sic ille Lutheranus devotionem illorum pessumdaret, derideretque. Voluit etiam urinam suam in Cryptam S. Udalrici in derisionem spargere; sed clamore mulierum facto fuga lapsus est.

Conjurata Societas, ut æstimabatur, ex Anabaptistis sociata, fere 400. virorum malignantium, ex Germania divisim per Rhenum ascendens, ut igne ubique locorum villas atque urbes vastarent, & in favillas redigerent. Ex quibus Wornatiæ 12. viri capti fuerunt, qui in tortura reatum cognoscentes, numerumque, & intentum suæ societatis prodentes, multa enormia confessi sunt, quare & digna pœna consumpti sunt, inceserunt etenim in urbibus, pagis, & villis ab invicem sequestratis, per rimas domus speculantes, ubi stramen, fœnum, pulvinaria, & id genus locata essent, ut ibidem ignem secrete immitterent. Et in quocunque loco quis certificatus fuerat per visum aut per aliam explorationem, faciebat cum creta ad domum tale signum XI. quod quilibet socio-

k 5 rum

rum videns, caute tempus observans, quo ignem immittere posset. Fuerunt etiam aliqui ex societate illa Argentinæ & Constantiæ capti, qui etiam confessi sunt, ut præfati in Wormatia.

In Vigilia Pentecostes Augustæ sub Officio Missæ Servus Doctoris Rechlinger super equum sedens per ambitum S. Joannis Ecclesiam B. M. V. intravit, & Altare Plebani miris saltibus gyravit in contemptum cum maxima levitate. Deinde januam Ecclesiæ versus Præposituram exivit. Quam levitatem nobilis vir Wolfgangus de Greyberg Capitaneus Augustens. videns, extra Ecclesiam ipsum subsequutus est, & nutu manuum ad se vocavit. Quo annuente cum ad ipsum pervenit, mox crinibus ipsius apprehensis, illum de equo dejecit, pedibus conculcando, taliter pugnis suppressit, quod Servi Wolfgangi de Greyberg timentes coacti sunt hujusmodi Blasphematori auxilium præstare suæ liberationis, ne a suo Domino perimeretur.

In Festo S. Bernardi quidam Laicus in Ecclesia B. M. V. sub Officio Missæ incens, ut bos clamare cæpit cum maxima levitate, in derisionem Cleri, quod Capitaneus Augustensis Sebastianus Schertlin videns, extra Ecclesiam illum secutus est,
qui

qui & ipsum sub suis prostravit pedibus :
pugnisque taliter castigatus est, quod vix
demum precibus sit ereptus, cum protesta-
tione, se deinceps nunquam talia commis-
surum.

Augustæ Processiones in Litaniis, &
Festo Corporis Christi ne haberentur pub-
lice per plateas incedendo, a Senatu pro-
hibitæ sunt, itaque ab omnibus observa-
tum est.

In Festivitatibus SS. Udalrici & Afræ
Augustæ Canonici B. M. V. & S. Mauritii
non audebant more antiquo processionali-
ter Ecclesiam SS. Udalrici & Afræ adire,
sed unus post alium sine superpelliceis Ec-
clesiam intraverunt, & deinde successive
adunati Processionem in extrema parte Ec-
clesiæ ordinaverunt, Chorumque cum can-
tu consueto intraverunt.

In Profesto Corporis Christi omnes Sca-
bini Augustæ in Ecclesia B. M. V. omnes
Candelas atque Phalangas numero 42. ab-
stulerunt, exceptis macellariis. Quæ Can-
delæ in Festivitatibus semper ex antiquo
instituto accensæ fuerunt.

In Profesto Corporis Christi Augustæ
Magistri Ecclesiæ, vulgo Zechmeister, Geor-
gius

gius de Stetten, Joannes Heslin, Joannes Aman Prælatum & Conventum S. Udalrici adierunt, postulantes sibi dari magnam Campanam ibidem: qui a nobis negativum responsum reportaverunt, eoquod illa Campana esset Monasterii, prout in libro structuræ Ecclesiæ nostræ continebatur, prout expensæ & pondus publice coram eis lectum fuit. Deinde Feria 3. subsequente ipsi abstulerunt clam & sine requisitione hora prima post meridiem a præfata Ecclesia Caldarium aspersions aquæ benedictæ, & deduxerunt in carro pistoris ad domum Georgii de Stetten, & in die S. Michaelis fregerunt in frustra vendentes pro 49. fl.

In Profesto B. Mariæ Magdalenæ præfati Magistri Zechæ turrim Ecclesiæ nostræ ascenderunt ad construendam domunculam ibidem pro uno horologio empto pro 70. fl. Quibus responsum fuit nomine Abbatis, & Conventus per Erasmum Hueber Priorem, & Antonium Reischlin Subpriorem & Magnum Nuffer nostrum Cancellarium cum protestatione, quod ædificationem domus Horologii eis non aliter admittere velimus, nisi sub antiqua potestate ac jurisdictione, quod Prælatum, & Conventus possint ad nutum Horologium & domunculam deponere, & ultra locum nostrum præocupare, seu intrare. Ad protestationem illam Magistri

gistri Zechæ responderunt: quod ipsis optime constet, se nullum jus habere in loco illo, velintque ipsi Successores illorum, domunculam & Horologium omni tempore ad requisitionem Prælati, & Conventus amovere, atque deponere.

In Dominio Landgravii de Leichtenberg in villa Debnia in mense Septembri horribilis casus accidit. Nam in præfata villa Plebanus ibidem, & aliqui Nobiles, pro collatione sumenda ad mensam in simul confederunt; fuere autem eis appositæ certæ scatulæ cum Zuckero, & Confecto, & inter ceteras scatulas una scatula eis fuit apposita cum rotulis ex albo Zuckero. At Plebanus unam post aliam in manum suam accepit, & cuilibet ex Nobilibus, & qui ibidem in collatione federant, unam porrexit in os, cum his verbis: *Hoc est corpus meum*; quo facto confestim nescio, qua de causa extra januam stube egressus est, ubi ejus unus oculus extra caput, distantia unius pugilli pendens, & superior pars oris tali distantia a labiis distans, unde labium dependebat, lacerabatur; & a quo id factum sit, nescitur. Sed asseritur divinitus hoc contigisse ex vindicta Dei.

Ulmæ Feria 6. post Clementis Senatus ibidem publice proclamari fecit, ut nullus homi-

hominum sub illorum jurisdictione constitutus, deinceps Sextis, & Sabbatinis diebus carnes comederet, sub pœna 2. fl. Insuper indulgit omnibus civibus in urbe Ulma, ac rusticis in pagis, & villis, quod extra Ulmam bene possent Missas audire, & divinis Officiis interesse, nam antea sub gravi pœna prohibitum erat.

Augustæ in Monasterio Harburg 12. Moniales de tertia Regula S. Francisci fuerunt, quæ unanimiter Monasterium, redditus, & censum circa Festum Omnium SS. Senatui Augustensi resignaverunt: & in prompta pecunia Senatui præsentaverunt 2500. florenos. Pro quibus omnibus Senatus dedit cuilibet illarum omnibus diebus vitæ suæ 50. fl. sub nomine precariæ. Quæ ante Nativitatem Domini omnia utensilia Monasterii inter se diviserunt. Fuit una illarum octogenaria, & Magistra illarum monocula. Quælibet earum proprium hospitium conduxit, aliquæ ex illis matrimonium contraxerunt.

Ex hac relatione, benevole Lector!
non sine lacrimis, cordisque gemitu,
perspicere poteris, quanta mala intra
tam breve temporis spatium unius per-
diti hominis petulantia, & arrogantia
fusci-

fuscitaverit: Quis vero vineam Domini Sabaoth tam cito tamque continenti incendio devastatam credidisset? parva equidem erat scintilla primo sub eminentiæ Reformationis, Zelique cineribus latens, quæ tamen superbiæ ventis, ac liberioris vitæ irritamentis excitata in apertum, tamque furiosum erupit incendium, ut florentissimas urbes, & regna, totamque ferme Europam absumeret, nec ipso etiam sanguine copiose effuso restingui posset. *Habemus itaque, scripsit Erasmus ad Lutherum (a), res usque ad cruentam stragem progressa est, & metuemus atrociora, ni Deus propitiatus averterit.* Imo merito nobis quoque atrociora sunt timenda; nostro enim ævo tanquam tot malorum prodromus, conspicitur fallax politioris literaturæ jactantia, quicquid sacrum sanctumque vilipendendi libertas sub specioso abusus tollendi prætextu occultata, atque effrænis sentiendi, scribendique licentia, ac denique publicus totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ contemptus; adeo, ut de præfenti

(a) Hyperaspistes Diatribe.

senti ævo vix non idem, quod præfatus Erasmus de suo effatus est, dici posset: *Tale Sæculum Luthere nobis peperit tuæ fortitudo, ut jam de Christo nec bene loqui liceat, nec male.* Unica futuris hisce malis obviandi spes reposita est in vigili illorum oculo, quos Deus constituit super Gentes & Regna, ut evellant, & destruant, ædificent & plantent. Horum Zelo, potentia & auctoritate facile succrescentia hæresum Zizania suffocari poterunt; non enim noctuæ tenebris assuetæ, Novatores inquam, & Pseudo-Politici lucem splendoremque illorum sustinebunt, qui in veritate, justitia, & judicio populos suos pascunt, vulpes, dum adhuc parvæ sunt, capiunt, luposque ovinis pellibus contactos ab ovili suo in tempore abigunt.

Ita faxit Deus.



CON-